



50

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  

---

DE  
**FEBRIBVS**  
**INFLAMMATORIIS**

QVAM  
AVSPICE SVMMO NVMINE,  
CONSENTIENTE  
GRATIOSA FACVLTA TE MEDICA,  
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,  
SVB PRAESIDIO

**DN. D. HIERONYMI LVDOLE**

SAC. PALAT. CAES. COM., CHYM. ET MATHES. PROF. PVBL.,  
FACVLT. MEDIC. AC PHILOS. ADSESS. ORDIN.,  
EMINENTISS. ELECT. MOGVNT. CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATR.,  
NEC NON CIVITAT. ERFORDIENSIS PHYSICI,

**PRO LICENTIA**  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

**CHRISTIANVS GOTTLIEB FIBLORN**  
ZWOENICENSIS-MISNICVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS HOR. CONSVET.  
DIE XXV. APRILIS MDCCLV.

ERFORDIAE,  
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN UNIVERSALIS MEDICINAE

DE

FERRIBVS  
INFLAMMATOIS

AVSTRIAE SVMMO IVRIS  
CONSULTANTE  
GRATIOSA FACULTATE MEDICAE

DR. D. HIERONIMI LUDOLFI

PRO LICENTIA  
SVMMISSE IN ARTE SVBVTARI HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS SE CAPESSENDIS  
PVBLCO EXAMINATORVM EXAMINI SVMMITIT

CHRISTIANVS GÖTTLICH BILDORN

IN AVDITORIO MEDICI COLLEGII MVRICI HORI CONSVLT.  
DIE XXII APRILIS MDCCLXII

SEBASTIANO HERINGIANO ACADEMICO TYPICO





## PROOEMIUM.



**D**octrinam de inflammationibus  
scitu quam maxime necessari-  
am esse, medicinae, tam quae  
medicamentis quam quae ma-  
nu medetur, cultores ultro lar-  
gientur. Quotus enim quis-  
que est, quem lateat, inflam-  
mationes plurimorum morborum inprimis  
autem februm comites esse? Nec a vero aber-  
rasse nobis videtur, ab illarum recta cogni-  
tione atque tractatione cardinem rei in cura-  
tionibus pendere quam plurimis contendentes.

I 2

A 2

Sini-

Sinister earum eventus vel celerrime rapere, vel longos morbos in scenam producere potest, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est; sed diu & periculose eos male habent, quos invaserunt. Ratio igitur in promptu est, cur speciminis inauguralis loco, hanc materiam sumserimus pertractandam. Huc etiam accedit, febres inflammatorias respectu curationis inter se convenire modo non omnes; a quibusdam propriis si recesseris. Tædiosum idcirco nobis visum est, eandem cantilenam in multis libris pathologico-therapeuticis toties repeti. Præmissis igitur de inflammatione febribusque inflammatoriis præceptis generalibus, dein paucis illa pertractabimus, quæ cuilibet illarum speciei ita propria sunt, ut in nullam aliam cadere aut transferri possint. Si non dilucide satis rem expedivimus, B. L. id, quæsumus, tribuat penuriæ temporis, & aliis quibus detenti sumus laboribus.

## §. I.

**S**anguinis vel lymphæ in canalibus minimis stagnantis pressioem & attritum, a motu reliqui sanguinis vel lymphæ, a tergo urgentis aucto inflammationem vocamus. Prout partis superficiem tantum vel etiam profundiora loca occupat, *erysipelas* vel *phlegmone* nuncupatur. Pars affecta tumet, digito renititur prementi, tenditur, calet, rubet, pulsantique urgetur dolore, qui si acutus est pulsui *circiter* deprehenditur, his augmentum capientibus, febris inflammatoria sat cito superaccedit. Vasorum læsiones, spastica affectiones, obstructions atque irritationes, humorum inprimis crassiorum impurorum & abundantium exagitationes in loca incongrua transfusiones, sanguinis expansio, motus nimius, potus spirituosus, secretiones & excretiones turbatae, repentina corporis calefacti refrigeratio &c. in canislarum antecedentium numerum venire solent. Causa proxima ipsa humorum stasis est. Quo majori impetu causæ agunt, quo urgentiora deprehenduntur symptomata, eo majus periculum inflammationes portendunt.

## §. II.

Si materia resolutioni obtemperat, motus paullatim conquiescunt, symptomata mitiora fiunt & recta via excernitur materia peccans, inflammatio discutitur & medicum ægrotumque gaudere finit. Ubi materia stagnans plus justo est crassior, & partes distillantur subtiliores, inflammatio in locis cum primis glandulosi non raro in *scirrbum* degenerat. Ruptis autem valis & effuso leviter putrescente humore, inflamma-

tio abit in *suppurationem*, sub qua dolor locum afficit pulsatorius, febris exacerbatur & æger sine ordine inhorrescit; quæ omnia facta suppuratione remittunt, & alia symptomata, pro loci affecti indole, priorum excipiunt vices. Grandiorem inflammationem subinde *gangræna* atque *sphacelus* consequuntur. In priore inflammatio diffunditur, symptomata sunt magna, liquida putrescunt, ichor in bullas colligitur, floridus inflammationis color perit, pars emori incipit tenditque ad innati caloris extinctionem. In sphacelo, quem latini syderationem vocant, pars sensum, motum ipsamque vitam amittens fit nigra, mollis, putris, male olens. His malis ipsius materiæ inflammatoriæ locique male affecti conditio, nec non inconueniens adstringentium, retropellentium, coagulantium, pinguium & ligaturæ fortioris usus ansam præbere possunt,

§. III.

Febres inflammatoriæ sunt acutæ continuæ a stasi sanguinis inflammatoria ortæ. A loco affecto ipsi impostum est vocabulum, & phrenitis, angina, pleuritis, peripnevmonia, hepatitis, splenitis, nephritis &c. vocantur, prout stasis inflammatoria, meninges, colum, pleuram, pulmones, hepar, splenem vel renes &c. occupat. Spuriarum nomine veniunt, si stases & inflammationes in his locis non tanti momenti sunt, ut febrem gravem & periculosam accendere queant. Cum horrore febres inflammatoriæ ingruunt, sequitur æstus, sicus, capitis dolor, pulsus celer cum duritie insigni, frigidi aëris & fontis hauriendi cupiditas adest, ad leuissimam corporis ventilationem horrorem sentiunt, dolo-



dolores interditi quidem quam nocte sunt leviores, percipiuntur tamen in parte affecta intense ardentis & pro conditione loci fatis exquisiti atque acuti. Urina mingitur rubicunda, quæ post nonnullos plerumque dies turbatur & copiosum mucidum roseique coloris sedimentum deponit. Excretionis imperfectæ vel perfectæ, salutares vel minus salutares morbum concomitantur vel eundem sequuntur; quarum, in speciali pertractatione uberius mentio fiet. Id tantum monemus, sudorem, spasmodicam relaxationem & materiæ stagnantis resolutionem excipientem, vel aliam excretionem v. c. lotii, alvi, expectorationis, qua materia cocta excernitur, offendere spem salutis.

## §. IV.

Inflammationem fonticam harum febrium causam absolvere merito judicamus. Ipsa causa, pars affecta, inflammationis magnitudo & profunditas, velocitas, symptomata & natura ægri, tractatio morbi, prognosin absolvunt. Securitatis indicia sunt, ægrotum non ægre ferre morbum, somnum, sudorem, urinas alvumque probe sese habere, totumque corpus æquali calore temperatum ac molle esse. Metum autem non levem facit, locum affectum vehementer calere, dolorem & reliqua symptomata incrementum, frigentibus extremis. Periodum plerumque VII. absolvit diebus, tardius undecimo morbi per sudorem largum resolutio est speranda. Quando vero discussio obtineri nequit, aut ad lethalem corruptionem tendit aut ad exulcerationem, scirrhum aliaque gravia lenta & diuturna mala, quorum mentio jam a nobis facta. Abcessus  
nunc

nunc per os; nunc per alvum aut urinam vel alia loca expurgatur, vel in cavitatem aliquam defluit; quo facto pro loci suppurati conditione salus vel morbi habituales vel mors expectanda.

OBS. Si dolores simul ac semel remittunt, excretio salutaris non sequitur, homo fit imbecillior, pulsus admodum parvus, cibi perit cupiditas, oculi concavi redduntur, facies Hippocratica apparet, extrema refriescunt; mortem instare, positum est in certis.

§. V.

In speciali febrium inflammatoriarum pertractatione, præmissis definitionibus, symptomata propria, causas specialiores & prognosin cuilibet speciei propria convenientem enarrabimus. Quo peracto therapia harum febrium generalis & specialis tam interna quam externa in medium prodibit.

§. VI.

*Phrenitis* est febris inflammatoria ob stasim sanguinis in membranis cerebri &c. cum delirio conjuncta. Delirio cum febre simul ingruente, *idiopathicam*, illo autem subsequente, *symptomaticam* dicunt. *Paraphrenitis* est, si febris inflammatoriae, stasim non in cerebro sed alibi pro causa habenti, delirium accedit; idquod inflammationis quantitatem prodit, quæ tanta est, ut operis yagi, teste Willisio, cerebrum in consensum trahatur. Cel. BOERHAAVE paraphrenitidem gravio-rem pleuritis speciem esse tradit. Alii diaphragmatis inflammationem esse contendunt. *Angina vera*, cy- nange, lycange a *κύων, λύκος* & *αχνη* suffoco, quod canes & lupos frequenter afficiat, est febris inflammato-  
ria

ria ob stasim sanguinis l. lymphæ in summis asperæ arteriæ & faucium partibus, concurrente manifesta deglutiendi respirandique difficultate. *Peripneumonia* stasim sanguinis in pulmonibus, *Pleuritis* in membrana costas succingente habet. Utraque species haud raro conjuncta esse solet. *Splenitis* propter stasim inflammatoriam in splene, *Hepatitis* propter eandem in vasis hepaticis adest. Cel. HOFFMANNVS in dissertatione de hepatis inflammatione vera rarissima, spuria frequenti, eam diaphragmati & musculis abdominis transversali & obliquo inferiori tribuit, quorum capita sub costis spuriis in homine coeunt. *Nephritis*, a calculosa seu nephralgia differens, est febris inflammatoria ob stasim sanguinis in renibus factam.

OBS. I. Angina spuria, alba, pituitosa ad morbos acutos non pertinet, frigidum humorem sequitur, neque ruborem neque ardorem, aliqualem tamen dolorem exhibet. Hoc vitium ut longius sic & tutius esse consuevit.

OBS. II. Dantur etiam aliæ febres inflammatoriæ, proprio vocabulo tecnico non insignitæ e. g. ventriculi, intestinorum, mesenterii, vesicæ, aliarumque partium, quæ pari ratione ut reliquæ cognoscuntur & pro re nata tractantur.

#### §. VII.

Specialia signa febrium inflammatarum atque symptomata quod attinet, in phrenitide continuus adest mentis error, & expeditus in omnem audaciam agrotus fertur, cum impetu e cubili profilit, vociferatur, modo plorat, modo cantat; verba sine ordine & sine sensu profert, manus tremunt, festucas e stragulis legunt, æger vicissim tum vigiliis tum somno difficiliter

B

turbu-

turbulentoque impeditur, caput dolet, pulsat, sæpe cruor e naribus aliquis fertur, lingua nigra & aspera est, urina tenuis, flammea interdum, quod pejus alba, paroxysmus per intervalia exacerbatur, interdum etiam convulsiones superveniunt vel syncope apparet. In paraphrenitide præter deliria cardialgici regnant dolores & præcordiorum dolor tam sensibilis sæpe est, ut manus contactum moleste ferat. Accedunt ructus, sæpe vomitus atque singultus. In angina vera vox catulorum instar tenuis editur, os hiat, lingua exeritur, saliva spumans profluit, deglutitionis, loquelæ & respirationis vitia urgent.

OBS. Phrenitis idiopathica in calidioribus regionibus frequentior est, quam in climate nostro.

#### §. VIII.

In pleuritide respiratio difficilis, frequens & parva, dolor acutus, punctorius, latus imprimis circa mammillam exercet. Tussis adest initio sicca mox vero humida, sputum coloratum & striis sanguineis permixtum. Certissimum signum, pulmones esse inflammatos, ex gravitate pulmonum, dolore in latum per universum pectus diffuso & sæpe in scapularum medio sese manifestante, spiritaque fervidissimo desumitur. Pulsus sæpe est intermittens, lingua sicca, sputum coloratum vel cruentum, & æger in latus reclinatus præfatione enecari videtur. Forte raro pleuritis sine peripnevmohia & hæc absque illa occurrit, cui conjunctioni denotandæ nomen pleuropnevmohiæ est inventum.

§. VIII.

## §. VIII.

In ventriculi inflammatione insignis cardialgia, conatus vomendi, singultuosi ructus, pertinacissimæ sæpe alvi obstructiones, in intestinorum vero inflammatione tormina colica, flatulentia, ardor & sæpe dolor acutus in loco affecto deprehenduntur. Vesicæ inflammatio pariter insigni dolore stipata est, ad viscera connexa excurrente & urinæ variis modis excretio turbatur. In hepaticide tumor dolorque sub præcordio & hypochondrio dextro ad costas spurias potissimum excurrentes sentitur, levis & sicca tussis cum spirandi difficultate, sæpe vomitus biliosus, singultus, aliquando diarrhææ biliosæ & color auriginosus se manifestant, & si æger in sinistrum latus decumbit, propter dextri extensionem, majori dolore urgetur. In splenitide tumor ac dolor sinistrum obsidet hypochondrium & hic magis obtusus ac gravativus quam acutus percipitur. Febris hæc inflammatoria exacerbationes quartanæ consimiles interdum habet. In nephritide in lumborum regione acuti adsunt dolores, per intervalla acuti, ad vesicam & testem adjacentem excurrentes, stupor cruris vicini, animus anxius, tormina colica, conatus vomitorii, & urinæ difficultates. Ipsum lotium tenue paucumque est & post refrigerationem crystallos pelucidos rubicundos vitri lateribus apponit. Post supurationem carunculæ ex putri renum substantia quasi capilli in urina cernuntur. In quibusdam adeo effrenatus est dolor, ut animi defectione occupentur, & fufis fudoribus labefiant.

## §. X.

Phrenitide idiopathica corripuntur homines ad iracundiam proni, hæmorrhagiis narium adfueti, post excessum in potu inebriativo, aut excandescuntiam vel longiorem ad solem calidum moram, post intensas cogitationes, vigilias, violentas capitis læsiones. Symptomaticæ congestiones versus caput, opiata, venæsectio intempestive nec tamen sufficienter administrata famulantur. In paraphrenitide gravis partis alicujus inflammatio culpæ proxima est, interdum etiam ab epidemica malignitate pendet. In angina accusanda sunt molimina evacuationis incompleta, refrigerationes subitæ, externæ colli læsiones, irritantia, vomitoria dysemetis data, metastases, stricтура spasmodica fibrarum & stasis humorum in his locis. In pleuritide rigidam fibrarum pleuræ membranoso-nervearum stricтурam, qua vasa venæ azygos constringuntur cum Lancisio in diss. de vena sine pari accusamus. In peripnevmonia circulus sanguinis turbatus & inflammatio in partibus pulmonum sæpe inferioribus seu vasis minoribus est. Utrique affectus catarrhales patrocinari, comprehensu haud difficile videtur. Ventriculi inflammati causa esse possunt iracundia, incalcescentiæ superfusus potus gelidus, vomitoria post iracundiam incaute sumta, venena. Hepatitidem obstructions hujus visceris, excandescencia & turbæ hæmorrhoidales in primis in hypochondriaco hysteris excludere possunt. Causa splenitidis familiarissime ab evacuationum naturalium vel artificialium cohibitione & neglectu est derivanda. A negotio menstruorum turbato vel hæmorrhoidibus aliisque caus-

causis communibus mesenterii & intestinorum inflammationem oriri posse ac solere, experientia testatur. Renes a diureticorum & aphrodisiacorum abusu, decubitu in dorso, hujusque insigniori refrigeratione vel læsione externa inflammarî possunt.

## S. XI.

Febrîum inflammatoriarum prognosis generalis eadem est ac illa, quam de inflammatione supra enumeravimus, & tantum restat, ut ea in medium afferamus, quæ in singulis illarum speciebus de morbi exitu ex signis præsentibus & præteritis divinari possunt. Phrenitidem in febrîbus denunciant turbatus somnus, acuti capitis dolores, excretionum suppressio, quando sitis non est pro magnitudine febris, respiratio magna & rara, pulsus parvus dum interim vasa capitis turgent & arteriæ circa tempora conspicue saliunt. Si feliciter & ad salutem res cedit & successive discutitur, vel hæmorrhagia narium accedit, vel sudores copiosi morbum judicant vel auctior alvi fluxus. Si febris & delirium simul ingruunt, casus est periculofus. Spasmus ubi auferri nequit, nulla spes ad æquabilem sanguinis circuitum superest & sphacelus meningum partisque cerebri lethalis sequitur. In subjectis junioribus nephritidi convulsiones malo omine haud raro superaccedunt. Phrenitis diu protracta & post febrîm superstes demum vel sanatur, vel in alios morbos, lethargum, maniam, melancholiam & desipientiam perpetuam transit. Paraphrenitis malum portendit, convulsiones, metastasin ad aures aliasve partes. In an-

gina levissimum malum est, ubi tumor & rubor tantum externas, gravius si simul internas partes occupat; gravissimum, si foris nihil conspicitur, sed morbus intus consistit; mortiferum, si citissime invadit summo dolore, vehemente febre & præsentanea suffocatione stipatum. Ab eventu anginam in suppurationem, suffocatoriam & gangrænosam dividere solent.

## §. XII.

In pleuritide dolor in sinistro latere plus periculi quam in dextro habet, sed citius maturefcit & solvitur. Vid. Cel. LOMMIVS in obs. medic. l. 2. p. 109. Periculosum nihil exspui, sed fervere in gutture. Sputum dolorem non sedans, commixtos nec inter se deductos colores habens, nec non sincerum sive flavum sive purulentum vel glutinosum malum, nigrum vero & fetidum pessimum est. Stasis discuti nesciens abit in suppurationem, quæ interdum per tumorem & abscessum externum se manifestat. In peripneumonia sanguis e naribus ubertim fluens, fusus venter multa biliosa ac spumosa reddens, sputumque dolorem levans inter bona signa numerantur. Ceteroquin morbus pulmonis plus periculi quam doloris habet & ut plurimum lethalis est, si insaniam movet. Erectum sedere ægrum cupere atque omnem odisse decubitum, in inflammatione pulmonum & lateris pessimum signum est, quod orthopnoeam medici vocant.

OBS. Pleuritis juvenili ætati familiarior est quam senili, & in Germania inferiori sæpe epidemica ingruit.

## §. XIII.



§. XIII.  
 Post primarum viarum inflammationem tunica interioris interdum remanet excoꝛiatio, ut hoc malo mactati in loco laeso dolorem pressorium, copiosum salivæ profluvium mane inprimis accedens, & virium defectum patiantur. Splenitis interdum vomitu nigro aut apertis hæmorrhoidibus tollitur. Ceteroquin ad scirrhosam indurescentiam magis quam ad suppurationem inclinat. Hepatis inflammatio satis ominosa est, quia ob lixiviosam bilis & sanguinis hepatici naturam facile ad putredinem inclinat. Vid. ACKERMANNI diss. de præfagiis medicis ex præcordiis, Götting. MDCCLII. Morbus hic haud raro in suppurationem abit. Singultus contumax, vomitus niger, dejectiones nigrae pejoribus signis annumerantur. Nephritis est affectus consistentis & senilis ætatis admodum dolorificus & satis periculosus. Sæpe numero cum morbis arthriticis conjungitur, cum spasmi Paracelsi fixus præcedit.

§. XIV.

Qua ratione febres inflammatoriæ tractandæ sint, superest, ut ostendamus, quod eodem quem nobis præscriptimus ordine fiet, ita ut primo indicationes generales, dein observationes & cautelæ speciales tam ad curationem internam quam externam spectantes in medium afferantur. In omni autem febre inflammatoria staseos discussio omni studio est quærenda, spasmi tollendi & humorum orgasmus contemperandus, liber & æqualis sanguinis circuitus restituendus, excre-

excretionem promovendæ & consuetaria mala arcenda. Quibus indicationibus unum idemque medicamentum, saltem pluribus satisfacere potest. In principio curationis venæsectio est administranda, si plethora eam exigit; hac enim ratione nimius sanguinis appulsus minuitur, spasmi mitigantur & staseos resolutioni via panditur. Humoribus organikus & spasivorum ferocia potu aquæ egelidæ, emulsionibus, decocto rad. Cichor. gram. Scorz. aut Hord. cum C. C. & acido citri, pulveribus febrilibus, nitrosis, continentia tranquilla & potulentis tenuibus tepidis coercerentur, Resolutioni inserviunt aliquando eadem temperantia, infusa diaphoretica, calore humido intestina calefacientia e. g. Arnicæ dilutum, portiones temperantes ex pulveribus febrilibus & aquis destillatis convenientibus paratæ. Sub magna doloris exacerbatione unum alterumve granum massæ Pil. de Cynoglossa pulveribus temperantibus addere licet. Tempore remissionis Ess. Alex. temperata cum spiritu acido dulcificato remixta exhiberi potest. Excretio peripherica & diuresis iisdem temperantibus febrilibus & diaphoreticis temperatis obtinetur. Materia viscida si obstructioni ansam præbuit remissionis tempore laxante convenienter evacuari potest, nec non sub morbi finem, remittente inflammatione, alvum laxare convenit, cui etiam aperta servandæ per totum morbum studendum est, ita tamen ut a commoventibus & valde irritantibus abstinetur. Suppuratio si forte facta fuerit, ægrotantes ut hectici tractandi sunt.

OBS.

OBS. I. Ad discussionem inflammationis facilitandam unum alterumve camphoræ granum pulveribus febrilibus circumspicte tamen immiscere licet.

OBS. II. Ad præcavendum novum insultum venæsectione in plethoricis & abstinentia ab omnibus causis occasionalibus opus est.

§. XV.

Quod curationem specialem attinet, in phrenitide alvus aperienda per clysterem emollientem, antispasmodicum & deterisivum. Si id ob deliria fieri nequit, per nitrosa & potum largiorem subjunctum fiat. Ubi angina febribus acutis imminere videtur, pulveribus nitrosis unum alterumve granum camphoræ admisceri potest. Venæsectiones etiam repetitæ, nec non clysteres acres, quibus colocynthis incocta, aut electuarius hieræ picræ cum colocynthide adjectum, revulsionem præstant. In inflammatione ventriculi & intestinorum motus vomitorii non sunt promovendi, sed clysteribus demulcentibus divertendi; in tali enim statu nec acida pura vel dulcificata nec sales ægrotantibus accepta sunt, nec speratum effectum præstare solent. Si a veneno malum est, indole ejus investigata, illud est corrigendum antacidis, diluentibus, oleosis, pinguibus, & malum remanens pituitans, decocto millefolii, chamæmeli aliisque mucilaginoso tractatur. Ad vomitum in nephritide compescendum, præter curam generalem, infusum millefolii, aquam ejusdem parum spirituosam, lac asininum, serum lactis, antispasmodica, anodyna correctæ in pauca dosi, commendant.

C

§. XVI.

## §. XVI.

Externorum remediorum in febribus inflammatoriis prudens usus negligendus non est; quoniam ad resolvendam & foras extrahendam materiam peccantem magna illis vis est, cujusmodi sunt frictions, vesicatoria, fots ex discutientibus, emplastra resolventia, Spiritus Serpilli camphora imbutus &c. vid. Cel. MEAD in monitis & consil. medicis p. 20. In phrenitide vesicatoria in furis applicantur. Partes extremæ si frigent, foveantur & vesicæ calidæ abdomini imponantur. Capiti epithema ex Spiritu vini camph. & aceto rosar. vel unguentum alabastrinum recens camph. applicari solet. Alii non sine fructu adhibent viscera ex animalibus recens mactatis, nec contemnendum euporiston, quod ex mica panis, sale, bacis juniperi, ruta, cumino paratur & aceto vel Spiritu vini camph. aut aqua apoplectica irrigatur. Freindius venæsectionem in jugulari externa valde prædicat, & multum juvare solet hæmorrhagia narium exemplo Aegyptiacorum mature procurata. Vid. Celeb. SCHULTZIVS in pathol. spec. p. 91. Hæmorrhoidariis hirudines in hoc aliisque inflammatoriis affectibus prodesse solent.

## §. XVII.

In angina præter vesicatoria in plantis vel furis pedum gargarismi ex resolventibus & discutientibus parati in usum vocentur. Oleum lini a quibusdam incredibili laude effertur. Si effectus suppuratorius prohiberi nequit; ad externas partes cataplasmatibus emol-

emollientibus & maturantibus eum invitemus; ejusmodi cataplasma ex nido hirundinum, fimo columbino, Flor. Melilot., Samb., Chamæmel., Scord., Baccis juniperi, lauri &c. parari potest. Sydenhamus partem inflammata[m] externe melle rosaceo, spiritu sulphuris notabiliter acidulato tangere jubet; quod utique egregiam discussionem præstat. Si abscessus interne fit, ad maturationem accelerandam os & fauces fovere juvat decocto emolliente cum lacte facto, & mundificatio gargarisinate ex vino & melle rosato adjuvatur. Si extremus suffocationis metus urgeat, tamquam unicum præsidium restat bronchotomia. In pleuritide, docente Lancisio, multum tribuunt frictionibus ita faciendis, ut secundum ductum musculorum intercostalium a sterno incipiendo ad spinam linteis temperate calidis pergant. Expectoracione suppressa, doloribusque exacerbatis, vesicatoria summo brachio utrumque apponere commendant. Quibus enumeratis, labori nostro imponimus

F I N E M.





00A6282

ULB Halle


3

002 828 103



Rebro ✓







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
 DE  
**FEBRIBVS**  
**INFLAMMATORIIS**

Q V A M  
 AVSPICE SVMMO NVMINE,  
 CONSENTIENTE  
 GRATIOSA FACVLTA TE MEDICA,  
 IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,  
 SVB PRAESIDIO

**DN. D. HIERONYMI LVDOLE**

SAC. PALAT. CAES. COM., CHYM. ET MATHES. PROF. PVBL.,  
 FACVLT. MEDIC. AC PHILOS. ADSESS. ORDIN.,  
 EMINENTISS. ELECT. MOGVNT. CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATR.,  
 NEC NON CIVITAT. ERFORDIENSIS PHYSICI,

**PRO LICENTIA**  
 SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
 ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS,  
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
 AVCTOR ET RESPONDENS  
**CHRISTIANVS GOTTLIEB FIEHLBORN**  
 ZWOENICENSIS-MISNICVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS HOR. CONSVET.  
 DIE XXV. APRILIS MDCCLV.

ERFORDIAE,  
 Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.

